

Y, 18.

4, 567.

EXEMPLA LOCORVM

EX

SACRIS LITERIS PETITORVM

QVAE

QVOD VVLGO PROBARE DICVNTVR NON PROBANT;

NEC NON

LOCORVM ALIQVANTO DIFFICILIVS
INTELLECTV:

QVO FIERI POSSET VT QVIS, QVAE NON INTELLIGIT,
SINISTRE ET PERVERSA RATIONE
COLLOCARET;


HIS PAGINIS PROPOSVIT

ET QVA RATIONE INTERPRETANDO EXPLANARI POSSENT

TENTAVIT

M. CAROLVS GABRIEL ZANDT,

PAST. CESSLESDORFENSIS.



DRESDAE,

TYPIS HENR. GVIL. HARPETERI.

M D C C L X X X I X.



EXEMPLA LOCORVM

SACRAE LITTEAE PASTORVM

LOCORVM ALIOVANTO DITTOBIVS

INTELLECTV
QVO REPERTORIT ET QVO REPERTORIT
INTELLECTV REPERTORIT

ET QVO RATIONE INTERPRETANDO EXIMIANI REPERT

M. CAROLUS GREGORIUS

VIRO
SVMME REVERENDO ATQVE MAGNIFICO
DOMINO
CAROLO CHRISTIANO
TITTMANNO,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI LONGE CELEBERRIMO, SVPREMI
SAXONVM SENATVS SACRI CONSILIARIO GRAVISSIMO

CVIVSQVE

CVRAE ECCLESIAE MINISTRORVM, EPHORIAE DRESDENSIS
ADVMERATORVM, DOCTRINAE MORVMQVE RATIO, SCHO-
LARVMQVE RES SALVA

CREDITA EST,

QVAE

QVAE HOC TRACTANTVR LIBELLO,

VT SIMVL

MVNVS HOC GRAVE

BONO CVM DEO MEDIO ANNI MDCCLXXXIX.

CAPESENTI,

VERA QVA DECET ANIMI PIETATE OMNEM QVAMCVN-
QVE FORTVNAM PROSPERAM,

EVM^{QVE}

VT SALVVM SEMPER ET INCOLV MEM NOSTRORVM IN
FELICITATEM ATQVE VOLVPTATEM DEVS OPTIMVS
MAXIMVS NOSTER SERVET, PRECARI, ET OFFL-
CIVM QVA POTEST REVERENTIA PRAE-
STARE DEBITVM VALEAT,

EIVS^{QVE}


GRATIAE ATQVE FAVORI SE MVNERISQVE SVI
RES COMMENDET,

DICAT ATQVE DEDICAT

SVLTOR OBSEQVENTISSIMVS,

AVCTOR.

Nulla



Nulla veritatum firmiore nititur fundamento, nulla maiore gaudet claritate et perspicuitate, nulla datur quae magis ultro se cuiuslibet offerret, hac pervulgata veritate: cui quid mandatum est, intelligat mandata, seu imperantis sibi res maximi momenti perspicue cognoscat mentem, ut sedulo iussu exequi atque fideliter possit.

Eadem in causa quemlibet esse verbi divini ministrum, nemo negabit, cui Summi Numinis atque Domini, coetui christiano imperantis, verba sunt mandata, maxima cum reverentia colenda. Nam severi illius moniti apostolici, quod in epistola paulina ad Gal. I, 8. 9. legitur, et Dominus noster Math. XXVIII, 20. ardentur iam inculcaverat, semper se ipsum commonefacit, illudque magni aestimat. Prima igitur atque praecipua viro, qui officium illud religiosum divinas sacrarum literarum sententias docendi suscipit, sit cura, ne coetus christianus detrimenti quid, nec minimi quidem, ex sua capiat doctrina, imprimis vero ex methodo proponendi aut probandi et confirmandi illas summi momenti res; qua posteriore re neglecta nulla verborum adest firmitas, qua valeat *ἐλεγχεν τες ἀντιλεγοντας.* *) neque ubi opus sit *παρεκαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑμῶν*, quia non est *ἀντερχόμενος τῷ κατὰ τὴν διδασχὴν πιστῷ λόγῳ*, i. e. fideliter seu explorata mente rationem de doctrina reddere non valet. Non enim est, quem Paulus postulat **) virum verba divina docentem, *ἐμμετῆς*, certae ac firmæ sententiae, neque vere quidem *ὁσίος*, pia erga Deum mente praeditus, sed *τιφωθῆς*, ***) obscurata mente, vera fallis miscente, et, ut

*) Tit. I, 9. **) ibid. v. 8. ***) I. Tim. III, 6.

stupiditati ingeniorum plerumque contingit, inflata, inaniter inanam rem iaciant; quo fit, ut *εις κρημα εμπροση και παγιδος τε διαβολου*. Vtinam igitur non quilibet audeat subire maximi momenti officium, alios divina religionis docendi praecepta,^{*)} nisi sit non solum ingenio donatus, quod aliorum sententias investigandi viribus gaudeat, sed quantum lat est etiam eruditione, subsidia illi ministrante; quae tam in exponendis, quam in sacris literis ad usum religiosum pie adhibendis, deesse non possunt. Quem in finem sedulo et qua potest diligentia rerum coelestium interpres, quae aetatis suae beneficio ipsi se offerunt scrutatur subsidia, ex quibus auxilium habeat, ut ad bonam atque solidam perveniat scientiam, et ad facultatem divina docendi praecepta, *εχων το μυσηριον της πισweis εν καρδιας ουκιδησαι*, ut Paulus suis rem hanc exprimit verbis.^{**)} Quibus vero neglectis, iis, quos docere verae religionis doctrinas sibi persuadet, argumentorum loco venditabit, quae aut plane non sunt, aut non nisi sibi quae dicta sunt iniungunt indefessum, reverentiae debet atque pietati summae, qua Summum Numen eiusque mandata colere fas est, nec non officio, quo christianorum coetui obligatus est, qui, ut Iesu Christi doctrinam servet puram ac sinceram, ab ipso mandatum accepit gravissimum; quod vero negligitur, cum prava perversaque ratione sacra adhibentur dicta, eaque re, ut palam est, irrita redduntur, mentesque a via veritatis recta ad falsam infelicitatis deducuntur. Ne dicam, qua reprehendenda ratione divinum in periculum vocet honorem, qui, ut a doctrinae Iesu inimicis minuatur, occasionem dat atque locum, imo iuvat eos, et materiam subfornat, qua potius fundamenta veritatis, infirmia quae contumeliose dicunt, labefactare conentur. Videat igitur quique vir theologus, vel ne ex sinistro verborum divinatorum sensu contrahat sibi culpam, quae in eum ob incuriam, et rerum, quae sibi fuerint in subsidium, studium neglectum, cadat, vel ut corrigat et emendet, quae argumentis convictus vidit, minus recte ab ipso huc usque fuisse tractata.

Sciat vero quoque, quae vel hoc vel alio tempore adhuc aliquantum recondita et intellectu difficiliora sunt, futuro se ultro offerent ei nova et clariore luce, dummodo non desit veritatis amor, bona cum voluntate atque studio discendi coniunctus. Qua de causa illustrissimi theologi atque doctissimi Viri, D. TITTMANNI, intellectui coetum christianum docentium nunc hic nunc ibi, lucis praesidio, singulari atque insigni modo subsidio venientis, bene tenenda sunt

*) Iac. III, 1. **) I. Tim. III, 9.

funt verba, quae dissertatione, *de discrimine theologiae et religionis*, pag. 18. et 19. leguntur. „Hanc (sacram scripturam.) inquit, discimus, hanc tradimus, et discere et tradere debemus, non e compendiorum et systematum rivulis, non e magistrorum dictatis; inde enim enasci non potest, nisi scientia compendiosa, h. e. manca et ieiuna; sed e fontibus ipsis, h. e. e scripturis, iisque accurate et assidue legendis, sive potius scrutandis. Ex hoc tali sacrarum scripturarum studio plus, quam ex omnibus libellis dogmaticis proficiemus, ad nostram et aliorum utilitatem.“ etc. Et paulo post pag. 19. „Denique errores, inquit, vitabimus; nam in libris dogmaticis errari potest, et erratum est saepissime et gravissime, et etiamnum vel maxime erratur; verum hoc non est, nec fieri potest in libris sacris. Hi foli habent hoc iuris, ut errent nunquam. Hi foli praeslant hoc, ut, qui eos sequatur auctores utque magistros vero et integro animo, nunquam erret aut labatur. Quare ingenue profiteamur, nos perpetuos auctores extare ac suos, sermone et exemplo, litterarum sacrarum studiosis et doctoribus futuris, ut prae caeteris omnibus libros sacros utriusque Testamenti in Academiis a doctoribus idoneis accurate interpretari discant, eosque ipsi sine intermissione legant, atque per totam vitam ita scrutentur, ut eos nunquam e manibus dimittant, institutionemque omnem ex iis folis petant.“

§. I.

Periculum igitur nunc faciamus, num dictorum exemplis, quae vel plane non, vel ex parte tantum aut eminus dicunt, quae dicere vulgo perhibentur, in medium allatis, iisque pro viribus expositis, ad emendationem rei huius noxiae proficere valeamus. Novi vero tantum foederis scriptorum limitibus nostrum huius dissertationis se teneat studium. Veteris enim scripta, eorumque loci intellectu difficiliore versationibus, annotationibus et explanationibus multorum virorum illustrium, qua potuerunt diligentia, non omni quidem dicam sed maxima tamen ex parte in luce posita sunt, ut quilibet sibi ex labore illorum herculeo auxilium petere, et his subsidiis a pravis perversisque opinionibus cavere possit. Ordine vero, quo libri novi foederis vulgo numerantur, in explanandis eorum locis procedamus.

Qua de causa omnium primum ad Matthaei cap. II, 9. mihi se offert difficultas, quae commentariis, ob diversas, quas putant, Matthaei et Lucae relationes inter se conciliandi rationem, hic impedimento est; quibus res, illa, omnino memoria digna, quam Magis ex Hierosolyma locum quo Christus erat petentibus contigisse Matthaeus perhibet, cum illa de qua Lucas cap. II, 39.

certiores nos facit, non convenire videtur. Lucas enim indubiis verbis affirmat, parentes Iesu peractis in templo peragendis se recepisse in patriam suam, Nazarethum. Ibi ergo erat Iesus infans. Vulgaris vero opinio Magos Bethlehemum mittit, quia intellexerint ex Herode ipsiusque eruditorum consilio, ut illuc se reciperent. Sed si quis ad ea hic attendere velit, quae Matthaeus de stellae apparitione eo consilio annotavit, ut diligenter monstraret, quae, quod Lucas de domicilio Iesu memoriae prodidit, et inter omnes sui temporis viventes constabat, factum sit ratione, ut Magi non Bethlehemum sed Nazarethum se convertissent; absque difficultate cognosceret, non Bethlehemum iter fecisse Magos, sed Nazarethum. Qui vero causam quaerit, quare Matthaeus locum hunc nomine non designaverit, sciat non solum, Lucam iam eum nominare, sed etiam Matthaeo causam defuisse nomine designare locum, ob notissimam huius aetatis rem, ibi tunc fuisse Iesum infantem. Sed annotare ob institutum suum non intermittere potuit, stellam, quam observaverant Magi in patria sua, denuo tunc, cum iam in eo esset ut vellet Bethlehemum se recipere, contra omnem ipsorum expectationem apparuisse,*) ac veram eis aliamque quam docti fuerant monstrasse viam; ne Bethlehemum peterent, sed ad infantem Iesum pervenire, eumque invenire possent. Ope igitur stellae magna ex animi conservatione, quae illis Bethlehemum venientibus contigerit, expediti sunt. Divinitus inde moniti non reversi sunt Hierosolymam, quo factum est ut plane alia quam qua adverant via, domum se reciperent. Qua in sententia mecum quoque convenire video

*) Noctu enim, ut ibi locorum tempore aestivo mos est, iter suum fecisse non est dubitandum. Aestus enim cuilibet iter facienti hanc imponit necessitatem. Magos vero tempore aestivo, medio circiter Aprilis, quo messis tempore Palaestinae regiones iam ardent aestu, ibi advenisse, ex comparatione temporis cognoscitur, quo Herodes Phariseos illos multosque alios viros nobiles, qui Michae vaticinio crederant, Hierosolymis trucidari iussit (quod tempus ex Iosepho innotescit) cum tempore, quo Antipater Roma Hierosolymam reversus, ibique reus ad mortem damnatus erat. Cum enim trucidatio illa nefanda eodem temporis momento facta est, quod pueruli necati sunt Bethlehemitici; Antipater vero medio Decembris illius anni Hierosolymam venisset, septimo abhinc mense, quo Pherorae uxor accusata fuerat, quod mox sub illum cruentum factum est diem; iter hoc Magos circiter VIII mensibus ante fecisse intelligitur, seu medio, ut iam dixi, Aprilis. Quae temporis momenta qui perspicere velit, cognoscat non solum ex LARDNERI *Glaubwürdigk. der evang. Gesch.* P. I. II. cap. III. pag. m. 654. et 656. Sed etiam ex I. O. H. G. FRANKII *Chronologia fundament.* Lib. I. cap. IV. §. 97. pag. 170. seq.

video illustrem, nunc beatum virum IOH. G. FRANKIUM, in *chronolog. fundament.* Lib. I. cap. IV. §. 97. Plura vero hic mihi se offerrent, quae annotare possem, nisi fines libelli nostri finem imponerent verbis; e. g. Fugam Iesu in Aegyptum non opus est ante cruentam istam expeditionem imperio Herodis Bethlehemi et multis circum locis factam, sibi fingere, cum Nazarethi tatus ab Herodis gladio lateret infans; accuratius vero hanc in rem inquirere, ut indubio prius cognosceret, utrum adhuc Bethlehemi an alio se teneat loco, clandestina illius consilia, atque astutia ipsi non permiserunt. Maioris vero securitatis causa, ut futuro quoque tempore eo tutior sit ab omnibus Herodis malitiosis moliminibus, Deum in Aegyptum cum infante se recipere Iosephum iussisse, mihi non incommode evinci posse videtur. Non enim ordo narrationis apud Matthaeum impedit quo minus hoc affirmari possit, siquidem in usu est evangelisticis, primo narrare rem ad quam potissimum attentos esse lectores volunt, deinde vero quoque enumerare reliqua, quae vel causae fuerunt vel pariter cum illis rebus acciderunt. Imo multo magis narrandi modus Matthaei animum praebet huic accedere sententiae. Non enim sine ratione scripsit *μαλλει' Ηεροδης ζητηεν τον παιδιον*, i. e. futuro tempore infantem quaesitum fuisse Herodem; quod forte fieri potuisset, si casu quodam accidisset, ut Iesum adhuc esse in vivis, spemque de intermento infante eum fessellisse, cognosceret. Verbum enim *ζητηεν* hoc loco non exprimit molimen animi,*) quo quis secum animo quid agit, seu intentionem, quam potius proprie quaerere physico modo. Nam *ζητηεν* non copulandum est cum *απελευσαι*, quod subiungit Mattheus postquam primo dixerat, *μελλει Ηεροδ. ζητηεν* etc. Discrimen vero significationis verbi *ζητηεν*, ad quod hic attendendum est, cernitur in constructione vel cum nomine rem moralem indicante, vel cum nomine actionem physicam complectente. Hoc vero nostro loco physicam prodit actionem, cum aliis in locis moralem, e. g. Matth. II, 20. Ioh. V, 30. 1 Thess. II, 6. Ad quod si quis attendat discrimen, collatione huius cum altero evangelista facta, hanc rem sibi magis dilucidam reddet. Sed factis de hoc, alia quoque nobis sunt pervestiganda loca.

§. 2.

Matth. VIII, 4. prohibuisse legitur Iesum lepra laborantem, prodigiosam pervulgare sanationem, seu potius monuisse, de eximio illo, quo eum adfecerat tacere beneficio; cuius rei cum commentatorum rationem indicare student, ad-

A 3

mo-

*) Sicut vernacula nostrae linguae dicere consuetum est: *Suchen etwas zu bewerkstelligen.*

modum torquent mentem verborum Iesu, atque efficiunt, ut vera illorum, quae gravis omnino erat, causa negligatur, et verborum pondus amittatur. Causam enim, cur haec dixerit Iesus, si quis quaerit in humilitate animi, aut aliis ineptis rebus, vere nihil dicit. Nam talem Iesu assingere verborum rationem, idem est ac illum contra, in quem Iesus intenderat finem, sentire. Si vero verbis *μυθῶν ἑπης* omnem plane hoc de miraculo famam pervulgandam interdicere voluisset, non dixisset: siste te ipsum coram pontifice. Homo enim cui reddiderat valetudinem hoc extraordinario commotus casu, sibi persuadere potuisset, non habere quod ostendat se pontifici, huiusque iudicium hac vice inutile esse frustraque adhibitum. Iesus vero hoc suo magni momenti mandato duabus intenderat occurrere criminationibus: quarum unam, legis mosaicae esse inimicum, haec hominis antea leprosi ablegatio plane dispulit; alterius vero fallitatem, qua non esse illum, quem avide exspectabant prophetam, maliuosa mente negabant, ipsius pontificis iudicium, quod de sanatione perfecta tulit, luce clarius demonstravit. Qua de causa concilium Iesus homini antea leproso sapientissimum dedit, quo interdixit ei ut, priusquam pontifex de puritate perfecta sententiam tulere, cuidam, ne huic quidem profiteatur, Iesu beneficio modo mirabili a sua miseria liberatum esse. Quod nisi observasset, ab ipso pontifice ei fuerit periculum, ut mente maliuosa sententiam de integra valetudine recufaverit; qua vero taciturnitate observata, necessitate coactus reculare non potuit, quo minus iudicium de vera et ex omni parte perfecta sanatione ferret. Quo vero lato, nil nemini, ne pontifici quidem reliquum erat, nisi profiteri, etsi non verbis, conscientia tamen convictus, mirandum atque suspendum Iesu esse factum. Qua de causa verba *μυθῶν ἑπης*, non hunc sensum produnt: nemini et nunquam dicas; sed monent non solum de celeri incitataque festinatione, ut quoque substantia vox *ὑπαγε* docet, sed etiam de sapienti modo hoc se gerendi casu. Mihi igitur quidem verborum sensum hunc esse videtur: abeas nunc sine mora, siste te coram pontifice; nemini quid loco atque tempore importuno dicas, nisi tunc demum, cum in omnium fidem ac confirmationem a pontifice purus iudicatus, et publico sacrificii testimonio professus fueris, quae tibi eximia contigerit felicitas.

§. 3.

Matth. XI, 28. 29. Iugum quod hoc loco Iesus suum vocat, crucem esse atque calamitates, non solum ex connexione verborum, sed etiam archissimo, quo cum hoc verborum sensu coniuncta est doctrina Iesu, vinculo cognoscimus. Meminisse enim hic, quae cap. X, 38. 39. dixerat, non minimi erit emolumenti

menti. Quae vero ibi de cruce maximi momenti proposuerat, nostro nunc loco imagine iugi docet, aptissime ceremoniarum leviticarum iugo opponens; quod nomen, ob servitutum durissimam, in quam Israëlitaë his dati fuerant ceremoniis, iis merito imponendum est: quocum conveniunt, quae Gal. III, 24. 28. IV, 1. 3. et Act. XV, 10. leguntur. Iugum vero hoc suum, quod ihesus loco eis offert, et quo cum ipso confociati sunt, ultro tolerare eo docet, quod (*ἔτι*) ipse sit *πικρὸς*, i. e. amore artentissimo flagrans, ut mediatoris officio suo eis auxilium praelet; et *ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ*, seu ad humilitatem submissus, ut negotium hoc admodum necessarium confici possit: quo fiat, ut animis ipsorum consulere, eosque reficere possint. Quo deinde eccellente beneficio commoti, amor in eum atque gaudium de felicitate maxima assecuta, omnem levaverit dolorem omnesque calamitates. Quem vero animum lex levitica non solum non potuit excitare, sed etiam eo magis reprimere et impedire, quo magis non amore sed formidine poenae accuratissimam praescriptionum observacionem extorsit. Simul quoque sine dubio Iesus respicit istum Iudaeorum praecudicium admodum noxium, quod ex animis eorum eradicari vix ac ne vix quidem potuit, divinas nobis datas promissiones ad terrenam potissimum pertinere felicitatem, quibus, qui legem leviticam bene observarent, gaudere opus esse atque frui. Talibus vero, quales haec sunt, opinionibus nemo calamitatum et curarum levamine, nulla qua vincat animus dolorem consolatione, fruitur, nec unquam eam expectare potest. Conf. 2 Cor. I, 5. Rom. VIII, 31—39.

§. 4.

Matth. XV, 23. verba discipulorum Iesu *ἀπολοσεν αὐτήν, ἔτι* etc. mihi quidem non videntur, ut plerumque creditur, intercedendi mente locuta. Nullus mihi clarior verborum sensus est, quam quem sequentibus dabo: mitte eam; abire iubeas, nihil eum ea, quae non ad nos, tibi sit negotii. Si quis de vero hoc verborum sensu sibi velit persuadere, sequentia expendat. 1) verbum *ἀπελ.* menti deprecantis pro re alterius minime convenire, eamque exprimendi nulla ratione aptum putari posse. Qua de causa de repudio uxoris in usu est apud evangelistas; e. g. Matth. XIX, 3. 7. et reliquis. 2) Causa, quam postulati sui afferunt discipuli, *ἔτι κραζει* etc. huic menti non obest. 3) Quae vero hac de sententia potissimum persuadent, sunt tam connexio verborum, quam responso, qua Iesus hac occasione data discipulorum corrigere intendit mentem, eoque consilio sapienti modo ad eorum reliquorumque Iudaeorum opinionem sic aptavit eam, ut menti discipulorum ab omni parte convenire visa sit. Eaque de causa, quia Iudaico more locuta verba animi virtutem atque constantiam uxoris adeo

adeo non reprimere valuerunt, ut potius eo magis excelleret, Iesu data est occasio maxime idonea, ut hac fidei firmitate inimicum discipulorum animum pufaceret. Quem eundem in finem Iesus, ut ex Math. VIII, 10. cognoscitur, centurionis quoque fidem, eiusque cognitionem Christi tam claram publica dignatus est laude. 4) Responso Iesu, quae commate 24 legitur, uxori, non discipulis data mihi videtur, ut connexio huius responsionis cum eo, quod Matthaeus in proximis antecedentibus annotaverat (plane nihil, hucusque scilicet, respondisse Iesum uxori) aperte docet. Discipuli igitur, hoc Domini aduersus uxorem modo se gerendi permoti, eo liberius suam profitebantur mentem; quia falso sibi persuadebant, plane cum ipsis consentire Iesum. Qua de causa quoque nunc respondit Iesus uxori, et quidem, ut iam diximus, quae ad discipulorum fuerunt sententiam. Deinde quoque ex uxoris responsione Iesu verbis accommodata, se ad hanc non ad discipulos locutum esse, intelligimus. Quae cum ita sint sine difficultate cognoscitur, non intercessionis causa ἀπολ. ἀντ. dixisse discipulos.

§. 5.

Locum Math. XVI, 19. quod attinet, nonnulla hic mihi moneri posse videntur. Promissum enim ibi Petro factum, singularem illam, qua ecclesia a Christo praedita est, peccata condonandi, potestatem, non respicere atque probare, nonnulli nostra quidem aetate sibi persuadent; vix accommodationem quandam in huius doctrinae gratiam, quam Iohannes cap. XX. clarissimis docet verbis, admittunt. Inest quidem, quod libenter concedo, verbis: *δωσω σοι τας κλεεις της βασιλ. των ουραν.* promissio de doctoris christianae religionis munere Petro facta, quo nunc, professione illa publica atque gravissima facta: *συ ει ε χριστος υιος etc.* dignus sit, quod illi committatur. Haec enim professio doctrina, ut sacrae perhibent literae et fidei omnisque christianae doctrinae dat natura, fundamentum est (*πετρας* vocat Iesus, suavissima ad Petri nomen facta allusione, conf. Math. VII, 24.) quo labefacto omnis vera doctrina fidesque in Christum labefactur atque ruit. Qua de causa Iohannes ep. I. cap. II, 22. 23. IV, 2. V, 1. 5. hanc omnis doctrinae christianae praecipuam atque primariam, fundamentumque fidei, et eadem de causa characterem certissimum et minime fallacem veri profitetur christiani, qui quis ab illis, qui non sunt ex Deo, seu, qui Dei non sunt, possit dignosci. Quod reliquum est, de more iudaico, ad quem Iesu allegorica respiciunt verba, non dubito, quo cui, quem doctorem publicum creaverunt, tradita est clavis, qua significarent, aptum esse ad docendum, dignumque iudicari, qui sapientiae arcana aperiat, eiusque recludat recondita. Qua de

de causa Iesus Matth. XXIII, 13. *ὄναι*, inquit, *ὅμη γραμματεῖς καὶ οἱ ἐπί κλει-
στε τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀδελφῶν* etc. ea scilicet ratione,
qua quis facultatem docendi populum adeptus, falsis religionis principis homi-
nibus aeternam praecludit felicitatem. Nec non Luc. XI, 52. docendi potesta-
tem aperte respiciunt verba Iesu: *ὄναι ὑμῶν — ἐπί ἡσραε **) *τὴν κλειδα τῆς γραμματεῖς*.
Quam ob rem quoque in sacris prioris foederis scriptis locutiones, quae huius
rei rationem habent, allegoricae leguntur; quae vero, cum insuper ex alio ad-
huc, quam cuius mentionem fecimus, ritu iudaico derivandae sunt, **) potesta-
tem quandam, non semper quidem docendi, sed alius etiam rei indicant: ut est
potestas gubernandi et ordinandi res, quae domus statum et familiae spectant fe-
licitatem; e. g. Ies. XXII, 22. quo cum loco comparetur Apoc. III, 7. Qua de
causa quoque in Targum Hierosolymitano scribitur: quatuor claves sunt in ma-
nu Domini mundi, quas non tradidit neque ulli angelo, neque Seraphino etc.
quae verba allegata legi possunt in ΒΥΧΤΟΡΦΙ Lex. talm. sub voce מַלְאָכִים pag.
1873; cuius rei confirmandae causa ibi provocatur ad Gen. XXX, 22. Deut.
XXVIII, 12. Haec omnia quidem sunt meridiana luce clariora; in quibus vero
quoque tantum subsistunt, qui putant, ex verbis Iesu tam ad Petrum locutus
quam Matth. XVIII, 18. ad reliquos quoque discipulos, ecclesiae potestatem pec-
cata condonandi minime probari posse. Esti vero quidem libenter do atque li-
bere profiteor, verbis etiam Christi, quae superioribus addit: *ὁ ἔσθι δὴσθης ἐπί* etc.
non inesse concessionem directe indicatam peccata condonandi, sed vel de illo
quod licitum et non licitum sit iudicandi, vel de potestate a morbis liberandi,
imo etiam malis intelligendis refrenandi contumaces, ut nonnulli, etiam veterum
iam theologorum volunt, agere verba Iesu; ex omnibus tamen quae attulimus
hucusque iam intelligitur, potestatem quamlibet eminentem atque praecipuam
sub *λυεῖν* et *δεῖν* comprehendendam esse. Qua de causa quidem, quam viri docti
volunt, potestas, etiam conceditur Petro, non excludit tamen illam praecipuam
quae in ecclesia Iudaica usque ad Iesu aetatem non exercita fuerat, peccata con-
donandi potestatem. ***) Libenter quoque do, verba Iesu Matth. XVIII, 18.
omnibus reliquis apostolis dicta, aliam plane quam Petri rem respicere, ut ex
verbo-

*) Seu quod idem est *ἐκφυλάσσει*

**) De quo breviter quantum ibi fat est, annotavit illustr. nunc beat. episc. Londin.
LOWTHIUS ad Ies. XXII, 22.

***) Quae potestas causa est quam Iesu mirantur ipsius auditores, homini, cuius ve-
hementem et insanabilem relevare vult morbum, dicentis: peccata tua tibi sunt re-
missa! Matth. IX, 3. 8.

verborum connexionem antecedentium bene perspicere potest; eadem tamen, quam in proximis antecedentibus attulimus, et hic iterum adest ratio, cur affirmandum sit, de condonandis etiam peccatis esse sermonem. Quis enim in componendis litibus, de quibus antecedentia agunt, excludere velit condonationem, hac cum re intime connexam? Insunt enim his, quae, cum hoc loco Iesus aenigmatica proposuerat methodo, verbis clarissimis (ut Ioh. XVI, 25. promiserat) in vitam reversus et sumam consecutus gloriam, enunciat atque docet Ioh. XX, 23. Sed merito quaeritur hic, utrum potestas haec ad solos pertineat apostolos, an ad omnem christianorum coetum, speciatim ad eos quibus christianae religionis doctrinam publice docendi atque inculcandi mandatum est? Nonnulli sunt, qui sibi persuadent, non ultra apostolorum aetatem esse extendendam. Sed videant hi, quomodo respondere possint Domino nostro, maximum sollicitis animis detrahentes beneficium, consolatione omni aetate indigentibus. An quid commiserint christiani nostri prae reliquis Apostolorum tempore viventibus, quo minus cum illis aequali frui possint beneficio? Christum vero quidem ipse est voluntas, ne desit unquam cuidam valde desideranti hanc maximi momenti consolationem. Praecepto enim, quod iniungit apostolis reliquisque suae resurrectionis testibus, ut omnia atque singula, quae didicerint ab ipso, seu quibus ipse imbuti fuerint institutione solerti (*παντα, inquit, εσα βρεθειδαμην υμων*) doceant omnes, quos sibi fecerint discipulos et sectatores, illico, rationem huius mandati addens, subiungit: certe sciant, se singulis omnium aetatum diebus fore inter christianorum coetum (*εγω, inquit, μεθ' υμων εμι παντας τας ημερας εως της etc.*) quibus addit: *και ιδε!* maximum ex ore Iesu verborum pondus. Ex quibus igitur bene cognoscitur, hac potestate universam christianorum societatem gaudere. Nunquam vero et nusquam gentium societate coniuncti omnes et singuli unam eandemque exercent potestatem et officium ulla sine discriminis ratione habita, sed, ut disparia membra diversas subeunt actiones, ad unius vero se accommodantia nutum, eundemque intendunt in finem. Coetus vero christianus format corpus, cuius artus eodem quidem fruuntur iure eademque gaudent felicitate, sed non omnes, inquit Paulus Rom. XII, 4. diversa habentes negotia, eodem perfunguntur officio. Qua de causa ministris verbi divini, ut primo Christus primis religionis coelestis doctoribus, loco omnium exercendi hanc mandavit potestatem. Quod vero reliquum est, quilibet sciat, modum quo in animos eximium illud servatoris nostri conferatur beneficium, Christum sicut omnia reliqua *διαταχθηρα* publicosque ad ritus spectantia, christianorum commisisse societati, quae ad libitum ea et pro temporis ratione sapienter instituat atque ordinet, vel quum opus sit mutet, dummodo eum in finem spectent, ut mandata

Iesu

Iesu accurate exequi possint. Quem eundem in finem regula paulina 1. Cor. XIV, 40. liturgicarum rerum ac omnis ecclesiae disciplinae generalis et primaria, ubique omnique aetate in ordinandis christianorum rebus et ritibus publicis debet observari: *παντα εὐσχημως καὶ κατὰ τὰς ἡμέρας*. Qua de causa nil interest, utrum in loco confessioni sacro Domini nostri mandatum exerceatur, an publica quadam atque omnibus communi confessione facta; si modo eadem quolibet coetu ritum seruetur ratio. Membra enim cessant esse membra multum sibi praeflantia officium, dissolutumque efficiunt corpus, si unum hoc alterum aliud quid sentiat atque molliatur; quibus suadendum, ne forte negligant illud Pauli Rom. XII, 16. *το αὐτο εἰς ἀλλήλους φρονεῖτε, μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονεῖτε, ἀλλὰ* etc. Minime vero dubia imo explorata res est, quam longi temporis experientia ecclesiae pastorem bene docet, beneficium illud, de quo hic agimus, Christi, orationibus sacris in coetu habitis, domi quoque adeo visitando christianos, non omnium animos aequè bene et aequali cum successu iuvare. Intimae enim amicitiae atque consuetudini, quam ecclesiae pastorem inter eosque, quorum animi illi sunt curae, adesse necessitas flagitat, confessione privata datur locus. Sed mittamus hanc materiam, de qua quid velit quisque statuat, dummodo videat, ne coniunctio illa, de qua diximus, admodum necessaria dirimatur.

§. 6.

Matth. XX, 16. particula *ἕως* sensum rei, similitudine propositae, certum et definitum dare mihi videtur; qua de causa expositionis fundamentum praebet, omnem removens difficultatem. Quia enim sententiosa illa loquendi ratio, *πολλοὶ θεῖς ἔσονται πρῶτοι, ἕχατοι* etc. qua cap. XIX, 30. Christus Petri malam mentis suae conditionem, quam verbis eod. cap. comm. 27. annotatis declaravit, emendare voluerat, varia potuisset accipi ratione; adiecta narratione, similitudinem cum Petri cogitandi modo proponente, illius sententiae sensum quem intenderat definit, addita hunc in finem particula *ἕως*, i. e. hac, non alia ratione accipias velim meum tibi verbis sententiosus dictum monitum. Eadem igitur ratione (hanc mihi Iesu sententiam esse videtur) qua illi primi (praecipui, praerogativae ius praetextentes) postponi oportet eos, qui, fortuna sua non contenti, de aliorum fortuna indignantur, eorumque invident miseriarum levamento. Quia vero, sua non contentus fortuna, fidem valde mancam prodit, nec non elatum, arroganter de se sentientem, animum ostendit; Iesus hanc etiam alteram addit sententiam, de qua, quam saepius iam dixerat, ut hac data occasione eo melius intelligant, nunc denuo rationem ostendit, quo fiat ut multi

quidem sunt invitati, sed pauci convivarum dilecti, seu grati atque accepti convivii domino. Quomodo vero his expositis verbis, Apoc. II, 4. de primo amore dictum illustrari possit, adhuc monstrare in animo haberem, nisi huius scriptiōnis admodum amplificarentur fines.

§. 7.

Math. XXIV, 22. Vocis ἐκδοθῶσθαι significatio, quam Dnus. BACHIENE bene illustrat, *) alia quoque in luce ponit sacrarum literarum loca. Nulla enim rei atque historiae magis accommodata est significatio, quam *intercidere*, seu *interfectionem vel interstitium* facere; quia Mattheus hoc verbo indicare vult, Iesum promissis suis, urbis oppugnationem adhuc amplius dilatam fore, quam Iudaeorum ferret contumacia atque perquam malitiosus animus. Dilatio enim haec *διὰ τὸς ἐλεκτες* exspectanda sit: ne hi pereant, sed ut salvari possint, non admodum repentinus irruerit urbis interitus, populique ibi congregati. Retardaverunt enim eum, ut historia docet, reliquae cum illo connexae res et fata funesta, dum plures antea Palaestinae depopulatae sunt regiones; quo factum est, ut gradatim urbis oppugnatio adproximaverit, et *ἐλεκται* illi sibi caute prospicere potuerint. Qui vero sint hi *ἐλεκται*, res ipsa docet: illi nimirum, qui fideli semper in Christum animo fuerunt, quibusque in salutem reliquorum hominum aeternam usus est. Quibus perceptis, vaticinium Mal. IV, 6. eo melius intelligi potest, quo terrae Israeliticae (saepe enim, ut inter omnes constat, vocatur *צרר*) Deus minatur mala horrenda. Ne vero illa veniant improvise, interitusque repentinus, sicut mereatur incolarum malitia, omnes atque singulos absumat, Iohannis antea exhortatio atque institutio multos ad aliam eamque rectam mentem vitaeque integritatem reduxerit, qui (patres) Christo se addixerint, quorum quoque exemplo posteri eorum permoti item Christum amplexi, haecque ratione ex errorum turba atque interitu (quam ob rem imprimis sunt *ἐλεκται*) erepti fuerint. Qua de causa mihi quoque *πασα σαρχ* eandem quem *כח* apud vates sanctos significationem, e. g. Ies. XL, 5. LXVI, 23, et quam Luc. III. 6. *σαρχ* habere videtur: ubi singulos quotquot sunt terrae Israeliticae incolae hoc nomen complectitur.

§. 8.

LUC. VI, 41. 42. Verbis huius loci: *τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τῆ ἀδελφῆ σου* Iesum ad offendiculum respicere, quod Iudaei superbia inflati,

*) BACHIENE Palaestina, P. I. T. III. c. 20. §. 677. edit. germ. pag. 393.

inflati, externumque amantes splendorem, vili eius conditione permoti sibi ipsis posuerunt; ex connexis his cum reliquis Iesu verbis, nec non ex Matth. X, 24. et seq. bene atque perspicue cognosci potest. Vili enim huic conditioni Iesus festucae nomen imponit, quam Iudaei adspicerent, ipsorum vero mentis conditionem disquirere plane negligenter; quae disquisitio vero, dummodo eam suscipere velint, omnia impedimenta, quae vili ipsius eis poneret conditio, ultero amoveri effecerit. Quam verborum mentem quemlibet mihi largiri non dubito, quodsi probare possem de se ipso haec dixisse Iesum. Dixisse vero de se ipso, docet verborum connexio. Verba enim commatis 40. nemini nisi sibi convenire ex Matth. X, 24. seq. manifesto cognosci potest; quae vero Lucas, nec non sequentia comm. 41. 42. cum commate 43. particula *γὰρ*, hincque proxime sequentia, verba igitur quoque commatis 46. copulat; ubi tandem, quae antecedentibus proposuerat, clarissimis verbis suae accommodat personae. Libenter quidem dare possum, ut quis quod attinet ad locum Matth. X, 24. opponat mihi, verba haec alio tempore aliaque plane occasione data locutum esse Iesum; inficiari tamen nemo potest, ibi de se ipso dicere Iesum. Eo vero accedit quod observandum sit, Lucam, dum nonnullas gravis illius et admirabilis in monte habitae orationis partes recenset, alias quoque verborum fini respondentes inferere sententias, cuius auctor fuit Iesus, acutas atque exquisitas. Ceteroquin sit, eas vel hoc tempore hacque occasione data, vel iterum alio quoque tempore locutum, et saepius, quo nihil verisimilius, repetisse: quae non ad nos, dummodo sciamus, qua mente fuerint propositae. Cuius rei veritatem inde quoque perspicere possumus, quod Lucas, brevissimis tantum orationis Iesu praecipuas atque notabiliores allegans partes, studio annotaverit, comm. 39. parabolis quoque res suas proposuisse Iesum, quarum nunc separatim mentionem facit. Ex quibus igitur aenigmatibus, ut relationis suae institutum postulat, non omnia sed nonnulla exempli causa tantum profert atque connectit, quae eandem respiciunt finem.

§. 9.

Ioh. I, 26. Quem locum, ut dilucide explicari possit, sequentibus puto describendum esse verbis: Ego, quem primo interrogastis, num essem Christus? ad hanc vestram nunc quoque respondeo quaestionem: aqua omnino homines religioso more initio, ego, cuius est officium, ipsum hunc, de quo vobis est quaestio, eiusque doctrinas hoc initiationis modo notas facere, et ut approbentur et recipiantur, praeparare animos (qui verborum sensus ex comm. 27. et 31. perspicue cognoscitur;) sed ipse medius vestrum fuit (seu, ipse inter vestros Iordanem

danem ad me venientes fuit; *μετος* hebr. significacione adhibita, ut **בְּקִרְבִּי** de quo ex me praepriis quaesivistis; quem vero neque vos nec ego cognovistis, nisi, aqua initiare divinitus excitatus, a Deo ipso edoctus fuerim. *) Sic vero edoctus. tesslor: *ὅτι τοῦδαμναι το πνευμα καταβανον ὡς περιεργον* (i. e. celeriter et protinus, columbarum more) *ἐξ ὕδανω, και* etc., illum esse in quem spiritum columbarum modo descendere vidi, etc. Eadem enim de causa, quia ipse cum minime novissem et ab aliis distinguere potuissem, qui aqua initiandi mihi commisit munus, certe scias inquit: *ἐφ' ἐν ὧν ἰδης το πνευμα* etc.

Ratio vero cur pharisei, a Iohanne edocti ipsum non esse Christum, hanc quoque addiderant quaestionem: **) qua de causa, seu quo iure, aqua possit initiare, cum non sit Christus? in phariseorum de baptisate sententia atque usu quaerenda est. Nam lavacro initiati semper addidit viro cuidam excellenti fuerunt, in quem, seu cuius gratia initiati fuerant, ut in societatem ipsius hae ratione susciperentur. Pharisei enim, gloriae avidissimi homines, factiones et sectas sibi parare admodum amarunt. Qua de causa animo concipere non poterunt, quomodo fieret, et cur recusaret Iohannes, quo minus sibi lavacro initiati secta compareretur. Qua commotus opinione pharisaica virum, cuius gratia haec fieret initiatio, insignem atque excellentem indicavit his verbis: *ἐγω (με) βαπτισω* etc. *μεσοδε ὁμων ἐστηκει* etc.

§. 10.

Ioh. II, 4. Loquendi formulam *τι ὁμοι και σοι*, post alios etiam quoque beat. et de re literaria optime meritus Vir, GOTTLIEBER, illustris Afranci quondam Rector, in schediasmate, quo scholia quaedam ad lexic. N. T. Schoetgenianum leguntur, illustrare quidem iam sibi proposuit; sed sunt quaedam quae moneam. Verba b. viri hac de re sunt breviter sequentia: „Forma loquendi, inquit, „respondet hebraicae, et similis est illi, quae exilat 2 Sam. XVI, 10. **מָה לִי וְלָכֶם**, „ubi Davides ad filios Zeruiae: quid mihi molestiam consilio velro intempere „stivo facessitis? vel: quid aliam rem curatis? quid ea res ad vos pertinet? „Cui, cum admodum hebraeis consueta sit loquendi formula, plura adere possumus V. Testamenti loca. Legitur enim Iudic. XI, 12. ubi Iephtha ad regem Ammonitarum perlegatos dici iubet: **לִי וְלָךְ** i. e. quae ratio tibi mecum intercedit? quid ego ad te? quid tu a me postulare possis? 2 Sam. XIX, 23. iterum hanc loquendi formam Davides repetit, quae cap. XVI, 10. legitur. 13. sunt

*) v. 31. 32. **) v. 25.

13. sunt verba Elifae, eadem qua antecedentibus locis mente locuta. 2 Reg. IX, 18. 19. Iehu respondet regis nunciis: **כִּי לֹא יִשְׁלַח אֶת יָדָיו עַל הַיְהוָה** quae tibi cum pace est ratio; nihil ad te pax. Ex quo crebriore usu omnino cognoscitur, vulgatissimam fuisse apud hebraeos loquendi formam. Non enim in Vet. Testamenti scriptis solum, sed extra nostrum Iohannis locum legitur etiam Marc. I, 24. et Matth. VIII, 29. de quo altero loco (et rebus et verbis cum Marci conveniente) b. GOTTLEBER in suo iam allegato schediafmate sic habet: „genii illi mali quos Iesus exire iusserat: **τι ἦμιν και σοι;** h. e. quid nunc commisimus? quibus iniuriis te adfecimus? quae verba sunt supplicantium. Verba Christi ad matrem: **τι ἐμοι** etc. in Lexico Schoetgeniano ita conversa sunt: mater, noli alienas res, et ad te nihil pertinentes curare. Quae versio aliquid inconcinni habere videtur, nec persona Christi erga matrem fatis digna. Equidem sic verba interpretanda putem: *non opus est admonitione: sponte mea hoc factum est.* Sed, nisi fallor, b. vir prae-supponit consuetam quidem, sed minus accuratam verborum Iesu interpretationem: **εἴπω ἡμεῖς ἢ ὄρα μὲν**, quae ut puto plerique sic interpretantur: non adest hora mea auxilium praestandi. Qui sensus minime Iesu verbis adfingi et quasi supponi potest. Auxilium enim recenter matrimonio iunctis praestitum occasionem huic pervulgatae dedit interpretationi. Plurimi enim putant, Mariam deprecari pro novis coniugibus, et eis a filio suo petere auxilium. Sed causa non adest, cur hoc sibi possint persuadere. Omnes contra hanc opinionem sunt rerum conditiones atque momenta, dummodo intelligantur, nihilque inconsiderate ac temere sumatur. Nam non nisi quodlibet momentorum dat nobis atque suppeditat hanc servatoris sententiam, a matris suae plane diversam: non adest tempus abundi; necis, mulier, qua de causa hic mihi morandum sit. Verba enim Mariae continent omni sine dubio modestum et cum intellectu huius foeminae convenientem monitum, ne amplius cum discipulis molestiam afferat novissime iunctis, quibus, ut ex architrictini monito intelligimus, quia iam **μεθύσθωσι**, seu, iam non parum vini consumtum fuerit. *) non sit unde vinum porro fumant. Momenta vero hic notanda sunt sequentia. Per septem plerumque dies continuata sunt nuptiarum convivia apud palaeestinae incolas; qua de re Anglus quidem agit, versionem nonnullorum N. Testamenti locorum castigans, in tractatu, qui est tertius libri sui, cui titulus: *Explanations of some difficult Texts in the new testament.* Quo cum more bene

*) Non est enim, cur **μεθύσθωσι** vertendum sit: ebrii facti sunt; cum non solum soritii, non vero perfecti, tempus exprimitur, sed etiam nomine caret seu persona qua regeretur.

convenit architrilini illud: *πας ἀδελφους πρώτους* etc. ex quo saltem certo cognoscitur, non omni caruisse vino Iponsum, sed tantum nullum adfuisse amplius, cum diu et per plures iam dies duraverit convivium. Deinde vero, quis sibi persuadebit, Mariam in spe fuisse, Iesum miracula editurum esse, cum neque hucusque nemo horum quae viderat, nec Iohannes portentosa quadam re innoverat. Maria enim, pro cognitionis suae, qui tunc de filio ipsius ei fuit modo, neque scire potuit, mirabilibus factis, quae nobis quidem nunc cognita atque perfecta sunt, multo excellentiorem Iohanne futurum esse Iesum, nec igitur opinata est, se ab illo petere posse, ut auxilium mirabili modo ferret coniugibus. Quibus perfectis, faciliori negotio verba Iesu versione, quae cum ipsam convenit mente, reddi possunt. Equidem verito seu interpretor mihi formam loquendi ex ore Iesu: *τις ήγας* etc., hac occasione prolatam, sequenti modo: non idem nobis est consilium; mea sententia non est tua; valde diversa mea a tua est cogitandi ratio; *) seu, quid, cum ita se res habeat, et mihi et tibi faciendum? Meum est, adhuc morari. Quae nihil, ut b. GOTTLIEBER de SCHOETFGENI interpretatione bene monet, inconcinni habent, nec persona Christi erga matrem, hac certe conditione cognita, satis digna sunt. Eo vero accedit, quod, deprecantis quoque sensu in usu fuisse hanc loquendi formam, ex daemorum deprecatione, ut iam vidimus, intelligatur: quid impedit (sic mihi ex horum ore interpretor) quo minus morari nobis liceat in homine? Sine igitur, Christe, per te hoc fieri posse. Qua de causa non semper: quid ad te, et sic porro, vertere necessitas flagitat.

§. II.

Ioh. III, 5—8. Verborum quae his commatibus, in primis vero 7. 8. leguntur, sensum non omnes, ut mihi videtur, intelligunt, et neque Iesu nec Nicodemi aequè bene perspicunt mentem, ac illum opus est, qui, qua ratione Iesu cum Nicodemi verbis connexa sunt, videre ac bene intelligere cupit. Ut igitur intelligat, semper meminisse iuvabit, Nicodemi verba ad sententias et opinionones pharisaeas esse examinanda, quibuscum ubique congruunt. Nemo vero pharisaeorum sibi persuadere potuit, se ea, qua Iohannes ulus est, initiandi ratione indigere, ut regni divini sit socius; Israelitarum enim neminem esse, in primis vero pharisaeorum sectae addictum, qui regni huius non participet iura. Quid ergo Iohannis lavacrum ad pharisaeum? Reliquos vero quidem cuiusque generis homines hac forte ratione in Iudaeorum societatem suscipi posse, non nega-

*) De consiliis divinis eadem dicuntur Ies. LV, 8.

negarunt. Nemo igitur reliquorum quisquis sit hominum, regni divini focus, ad sententiam Nicodemi, esse potuit, nisi in Israëlitarum communionem reciperetur, ut iure cum illis fruatur aequali. Qua de causa, ut Iesus bene distinguat Iohannis a Iudaeorum initiatione, hoc addit discrimen: ex aqua et spiritu; seu per aquam et spiritum effecta generatione, quemlibet hominem, ne Israëlita quidem excepto, indigere. Quibus verbis (quorum proprium sensum, quia non alienus a Iudaeorum loquendi ratione atque cognitione fuit, omnino capere potuisset Nicodemus, eruditorum qui fuit ex numero) Iesus docere Nicodemum voluit, neminem nisi aquae lavacro initiatum et quod ad animi sententias attinet immutatum, suscipi regni divini focus; quibus conveniunt, quae praepriis ab omnibus sibi addictis flagitat Iesus: *ματαναεστε και πιστευετε εν τω ενεγγηλοιφω*. Quibus ex causis, altera vice cum Nicodemo de regenerationis necessitate loquens, addit Iesus: *) *μη θαυμασθης, ετι ηπειν σοι: ου υμας γνησθι. ανωθεν* ne mireris me dicere, te quoque opus esse regenerari, quia et quoque quilibet vestrum alia ratione divino regno adnumerari nequit. **) Quibus cognitis, verborum Iesu mens cuilibet ultro se offert, quae nisi fallor haec est: Coelitus, seu divinitus animo commutati, regni quoque divini focus, non sunt quales tu Nicodeme tibi singis homines; nec quo eos dignoscere putas character verus est et certus. Hunc enim non dat atque praestat cuidam nomen Israëliticum, nec ius illud apud te valde aestimatum, quod tibi tuaeque nationi praebet generatio. Ne nefcis quidem, unde quis sit et veniat, qui coelitus animo mutatus in divinum recipi possit regnum, seu, qui filius Abrahami fieri possit. Aequo tibi latet hoc, ac venti locus quo fit ortus. Eadem de causa quoque comm. 10. reprehendit Iesus Nicodemi quaestionem: quomodo haec fieri possunt? qua occasione data Iesus nunc uberius explanat, quae brevibus tantum in antecedentibus dixerat, cum priorem Nicodemi correxerat quaestionem. Verbis enim Iesu et sententia sibi plane incognita obtupuit Nicodemus, et si qui fuit ipse populi praeceptor non ignorasset, quid quis regenerationis voce, cum apud Iudaeos haec appellatio in usu fuit, dicere velit, nisi *ανωθεν* hominem esse nascendum Iesus dixisset. Nicodemus igitur coniecluravit, Iesum rem plane aliam innotescere velle, quae, et si minime vera sibi visa est, sine dubio haec fuit: fortasse adeo, quia *ανωθεν* et vi divina fieri oportet, est Iesu sententia, ut homo, et si senex, in matrem suam redeat, ut nasci denno possit. Qua Iesus quoque re commotus de sententia sua cum

*) v. 7.

**) Qui verborum sensus, voculae *εσι* imponens pondus, ex vocum quo leguntur ordine ultro iam intelligitur.

eum certiore faciens, partum, inquit, consueto seu naturali modo editum non intelligo; et ad dignoscendam rem addit: non solum aqua, sed etiam *ex re mutatas* fieri; quo addito, vocabulum *ἀποθεῖν* explicat, atque rei cognitionem magis perspicuam dat Nicodemo. Ex quibus igitur intelligimus, Nicodemum non oblituisse verbis et priore data explicatione Iesu (quam, quod ad verba attinet, bene intellexisset) nisi rem sententiae pharisaicae prorsus contrariam hanc subnexisset: quemlibet hominem, et ex Abrahami progeie non ortum, et ne Iudaeorum quidem religiosi caerimoniae additum, focium regni divini fieri posse. Oblituisse igitur simul intelligimus Iesu verbis, quod ex numero, quibus generatio spiritualis opus sit, Iesus ne pharisaicae sectae quidem adnumeratum excipiat. Qua de causa altera Nicodemi, pressis prolata verbis quaestio, sic mihi videtur interpretanda: quo pacto, quaque ratione commutandus esset Pharisaeus? Ad quam Iesu responso bene quadrat: tibi Israelitarum doctori ne quidem haec cognita sunt? Ne haec tibi quidem res admodum gravis hucusque curae fuit? Diximus quidem, inquit (v. 11. seq. ego, et Iohannes ante me) atque iterum iterumque adseveravimus quae sunt; sed non credidistis quae diximus. Quam ob causam non sperandum est, vos mihi res coelestes docturo fidem habituros esse, qui iam quae in terra vobiscum tractantur et ad vos pertinent, ibique fieri debent, non creditis: qui ne mihi quidem, ex coelis venienti et ad vos me recipienti, adfentiri statuistis.

§. 12.

Ioh. V, 27. Non omnibus pari modo evidens est ratio, quam Iesus hoc loco reddit de potestate, qua omnium hominum iudex de singulis eorum factis atque moribus sententiam ferre valet. Nam, qui hanc rationem: *ἐγὼ υἱὸς ἀποθεῖν*, perspicere vult, attendere illi opus est ad ea, quae in antecedentibus comm. 25, 26. dixerat: omnes mortuos (eum in finem ut in iudicium vocari possint) vi ipsius a mortuis excitandos esse; ubi igitur ad suam optimi maximi numinis vim provocat. Tum demum vero de iudicio in illos exercendo loquens, hanc assert causam: quia homo factus sit. Sed ea de causa homo natus est, ut in hominum salutem moriatur; ea ipsa vero de causa sibi, ad voluntatem patris, ut homini, peculiare habet homines: cuius in homines imperi non solum mentionem facit in deprecatione illa memorabili Ioh. XVII, 2. sed eandem etiam huius rei causam ibi legimus. Petit enim a patre, ut gloriosa illa atque magnifica, quam sibi pollicitus sit, conditione, qua imperium hoc exercere possit, nunc demum naturam donare velit humanam. Cum imperii vero iure, ut inter omnes constat, iudicis quoque ius atque munus coniunctum est. Non-vero negli-

negligenda hic nobis, sed bene consideranda res est illa quae superiori accedit maximi momenti, de qua ex oeconomia divina nos certiores facit Paulus 1 Cor. XV, 22. Christum, Dei filium, quia homo est, omnium vice putandum esse hominum: quem in finem alter ibi vocatur Adam. Quod si igitur (hanc huius rei dat consequentiam Paulus) mortui sunt, ipsorum culpa mortales atque dissolubiles fuerunt; cum vero a mortuis excitati vita nunc donati erunt, propter Christum fiet, qui simili ratione eademque de causa mortuus et mox iterum in vitam reversus est, 1 Cor. XV, 21. 22. 49. Itaque haec verba Christi nos quoque mortem ipsius vicariam docent, vicarium itidem in vitam reditum.

§. 13.

Ioh. VI, 39. Valde mihi quidem verisimilis verbi huius loci ἀπολλομι significatio videtur, quae non de damnatione hominum malorum ad poenas sempiternas accipienda est, sed de hominis statu vere mortui, quo finis procreationis atque naturae suae plane vanus perditusque redditus fuerat. Nam sine dubio Ioh. III, 16. itidem eo trahenda est huius verbi significatio, quae altera utilitatis est, siquidem de omnibus ibi hominibus loquitur Iesus; cui statui, quem antea nominare opus fuit, opponit illum fidelium gloriosum et sine fine felicem. Qui tristis et admodum funestus status, omnium mortalium fors, natura eorum perditam non nisi mortalem sobolem procreante (Rom. V, 12. 14. 18. 1 Cor. XV, 22.) omnibus sine discrimine adsignatur; quem vero Deus, Iesu Christi pater, non solum cessare, omneque hominum genus propter filium suum a mortuis excitare, sed etiam fidelium huic, semper omnique animo addictorum, in Iesu hominis felicissimum convertere statuit atque decrevit. Quae de voluntate patris, quae pios admodum felices reddit, comm. 40. agit Iesus; de illa vero, omnium hominum fatum decernente, com. 39. sicut naturalis orationis ordo poscit, loquitur. Nam omne id, quod sibi dedisse patrem affirmat, omnes sunt, nullo excepto, homines: ἕδωκας ἅπαντα, inquit Iesus Ioh. XVII, 2. ἕξουσιαν πᾶσι σαρκος. Quae cum ita sint, intelligimus quoque quae sit ratio, cur his statim Iohannes voluntatis expressè mentionem facit patris; nisi inanem plane et insanam bis rei descriptionem his commatibus statueret quis malit.

§. 14.

Ioh. XII, 38. paucissimis tantum hic annotare velim, quid mihi quidem de huius loci dicendi formula βραχμαον κυριος, seu Ies. LIII, 1. וְרוּעַ יְהוָה, videtur. Est enim, ad meam sententiam, filius Dei, qui et δυναμις ἑλεως vocatur (Luc. I, 35.) Vox saltem synonymica ἰσχυς de quocunque filio in usu fuit e. g. Deut.

XXI, 17. Fortasse quoque Luc. I, 51. *βραχι*. *Θε* est filius Dei; nec non Act. XIII, 17. ubi verbis Deut. Deus dicitur eduxisse populum suum *μεταβραχι* *προς* *βηλνθ*. Cum vero in LXX. *ἐν χειρὶ κραταῖος* Dev. V, 15. additur, nonne est, quod verbis *ἐν χειρὶ* *μετρίρε* per hebraicum Gal. III, 19. sed ex LXX. versione in aliam transformatum loquendi formam, dicitur? quocum loco conferatur Exod. XIII, 21. Qua vero ad Pauli verba facta annotatione non auferam confluentissimam eorum significationem: per, seu mediante.

§. 15.

Ioh. XIII, 1—3. Qua ratione verba haec cum consequentibus connexa sunt, brevis ostendam. Cum Iohannes enarrare sibi proposuerat, quae comm. 4. 5. legitur, rem omnino miram quidem, quam vero Iesus gravissimis rationibus permotus suscepit: his verbis in antecessum praeparare vult lectores, ne sicut Petrus mirentur, quapropter Iesus, quae sibi, ut videbatur, minime convenirent, fecerit. Qua de causa primo ad tempus, quo haec facta sunt, attendere iubet: ante festum, inquit, paschalis, interea dum vel coena praeparabatur (*γενομενε*, quae Origenis est lectio) vel fovebatur (*γενομενε*). Deinde quo erga amicos animo eo tempore adfectum fuisse Iesum, sedulo annotat, qui a fidelitate erga eos insigni sua atque incredibili minime cessaverat, et si tempus proxime adesset, quo gloria divina indutus omnium rerum dominus se ostenderet; et si quoque horum omnium, quae sibi maxima et excellentissima contingerint, admodum accuratam scientiam habuerit, ut simul cognosci potest ex Luc. X, 22. Ioh. V, 21. 22. 26. 27. X, 18. 28. 29. XVII, 2. Minime igitur his rebus permotum fuisse Iesum, ut amicos suos despiceret, memoriamque eorum deponeret, perhibet Iohannes; sed vehementer ad extremum spiritum usque amasse eos. Eum in finem Iohannes huic demonstrationi amoris, ut nunc palam est, non solum inferit mentionem temporis, sed etiam ad Iudae consilium crudelissimum attentos facit lectores; ut intelligant, et si consilium hoc Domino ipsis minime latuisset, ob maximam tamen in eum indulgentiam eo illum non impedivisse, sicut se posse, si liberit, ostendit Ioh. XIII, 6. in oliveto. Potius enim continere se ab usu matelatis voluit, patris iussa exequi allaborans, quam renuere mala imminuta, ut amorem in amicos inauditum suum et vehementissimum probare possit. *)

§. 16.

*) Addi hic possunt, quae ill. D. STORCK in libro suo (*über den Zweck der evangel. Geschichte etc. Johannis*) P. I. pag. 185. §. 44. de fine huius, quam hic legimus, narrationis exposuit.

§. 16.

Ioh. XVI, 10. Qualem Iesu sententiam vox *δικαιοσύνη* hoc loco exprimat, intelligendum mihi videtur ex 1 Tim. III, 16, ubi Paulus, quam vulgo unctio- nem Iesu vocamus, dexteritatem habilitatemque humanae Christi naturae, quo Patris iussa exequi et recuperare hominibus salutem possit, eo quod est ipse Deus, vocat *δικαιοσύνη ἐν πνεύματι*, *δικαιοσύνη* inquit *ἐν πνευ.*, seu, perfectissimum factus est homo Iesus per divinitatem. Mihi igitur videntur Iesu verba haec dicere: spiritus sanctus, quo donavero amicos meos, reliquos convincet homines, me filium esse Dei, quia (*ἐστὶ*) ad patrem me recipio, eaque de causa me in posterum non videbitis. Quod igitur idem est ac Paulus 1 Tim. III, 16, de Iesu homine docet: veritatis, se Dei filium esse, demonstrationem certissimam, exercitationem divinae maiestatis in statu dedisse excellentissimo. Eodem modo, ut mihi videtur, Rom. V, 18, dicendi forma, *δικαιοσύνης χάρις*, interpretanda est; qua fidelium habitas, quo possint vitae statum multo feliciorum obtinere, exprimitur.

§. 17.

Rom. VIII, 4. Verba paulina: *ἵνα δικαιοσύνη τῶ νόμῳ πληρωθῆ ἐν ἡμῶν, τοῖς μὴ κατὰ σὰρα περπατήσῃ, ἀλλὰ κατὰ πνεύμα;* illustri LANGIO *) viro de interpretatione difficiliorum in sacris literis locorum bene merito, admodum sunt recondita atque obscura, ut ne exponere quidem audeat voculo, quomodo Pauli argumentum comm. 3, datum ea probet, quae comm. 4, inde sequi dicit, nunc nos obsequium praestare erga divina posse praecepta. Omnes vero, quae hic se offerunt dubitationes, tollit cap. antec. VII, 25, cuius loci verba Pauli mentem explanant, commate 2. 3. et 4. Cap. VIII, dicentis: mortem Christi, seu ipsius reconciliationis sacrificium, peccatum sic dominatione sua pepulisse, ut fideles praeceptis obedire possint divinis; dummodo verba Cap. VII, 24, *σῶμα τὸ θανάτου τέρη*, vertantur, ut omnino vertenda sunt: *perditum hoc corpus*. Quis est, inquit, (more hebraeorum, quaerendo affirmantium) qui mihi adversus corpus hoc meum perditum et depravatum auxilium erit? Adversus statum istum membrorum meorum miserum? (conf. commata antec. 18—23.) Tunc ipse respondet sibi: gratias ago Deo per Christum, seu propterea, quod Christum in auxilium mihi milit. Nunc vero in sequentibus suarum lucusque

C 3

facta-

*) vid. M. CASPAR GOTTLÖB LANGENS *exegetische Versuche*, Stück V. in der Vorrede pag. 5. 6.

facturam contemplationum proponit consequentiam, quarum prima comm. 25. haec est: qua de causa ego ipse (*αὐτὸς ἐγὼ*) quidem cultum tribuo quod attinet animum (seu comm. 19. voluntatem meam) praescriptis divinis, carne vero (seu quod ad hanc attinet) pendeo a legis, peccata praecipientis, arbitrio; seu, semper pronitatem carnis meae ad malum sentio atque perpetior: cui vero resistere studio, ut verbis comm. 2 Cap. sequentis pronunciat; quae eadem est, quam Cap. VI. imprimis comm. 12. 13. iam proposuerat sententia. Qua de causa ratio illa, quam Cap. VIII. 3. profert, cur christiani obstricti sint legi, praecipienti vitiosam emendare consuetudinem, respicit ad ea, quae iam in antecedentibus dixerat, siquidem a Cap. VI. 6. una serie usque ad comm. 14. Capituli VIII. eandem persequitur rem, cuius summa haec est: expiatio Christi morte et resurrectione facta atque confirmata, cui quia christiani fide addicti sunt, eorumque sententia cum illa ex omni parte convenit (*συνεσαυχθη* Cap. VI. 6. *συμφυτεὶ γεγοναίμεν* comm. 5. eiusd. cap.), efficit homines christianos animo sic immutatos, ut a peccatis et pronitate ad malum abalienati his resistant, cum in corpore, a prima iam hominum aetate perdito, se commovere, ut saepe fit, audeant.

§. 18.

Rom. VIII. 39. Huius loci verba, *ἀγαπή τε Θεοῦ*, non ab omnibus intelliguntur. Verum enim et genuinum Pauli sensum non capit, qui amorem hic sibi fingit fidelium erga Deum qui his verbis describeretur ac laudaretur, cum sermo sit de illo divini amoris inextinguibili ardore, atque perpetua eius et firmissimo fundamento posita fidelitate. Descriptio enim amoris fidelium in Deum, quam multis exquisitis verbis atque elegantibus expressionibus hic facere Paulum opinantur, arrogantiam saperet christianam. Si vero quis non habet, quod arroget sibi, est elatio animi, quam Petri Christus vituperat; est tentare Deum. Probare igitur velle, de re, quae cum christianorum non convenit mente, loqui Paulum, est ad Christi sententiam *μετρωσέναι*, vagare in alto cogitationibus. Haec enim arrogantia non cadit in Paulum, cui non est sermo de amore, quo amplectuntur fideles Deum, sed, ut iam dixi, de divino illo eximio, cuius demonstrationem in Christo (quae est *ἐν Χριστῷ*) evidentem bene intelligunt fideles; quod argumentum divinum, quia firmum est, et neque refutari nec ex animo eorum deleri nequit, confirmat spem quam in Deo ponunt atque fiduciam, se non ulla re, ne malis quidem admodum horrendis excludi posse (*χαρῆς ἔσθαι*) ob amore divino, quem in miseris minime ac nunquam deponere

ponere Deum immutabilem. Satisfatio enim fortunae vel secundae vel adversae non est argumentum nec de clementia nec inclementia divina. Quae vero apostoli sententia clarissime cognoscitur ex connexione verborum a comm. 18. usque ad 39. Nam quae, in consolationem miserum scribens, commate 18. de calamitatibus, quae omnibus, qui in Christum fideli sunt animo, accidere possunt, proposuerat, cum omnibus quae sequuntur arctissime connexa sunt, ubi unum argumentum excipit alterum. Argumentorum vero atque meditationis seriem optime cognoscet, qui a commate 31. retro quae legit expendere, et deinde sequentia ad comm. 35. persequi, et inter legendum bene attendere velit, quibus ex causis inferuerit Paulus verba commatis 37. *Υπερβαλον* enim hic est vincere argumentis, quibus quilibet Christo fidelis superior evadit; seu exacta consolatione trui atque tranquillitate animi. Quibus cognitis ultro concedat lector attentus, verba commatis 39. solamen miseris offerre fidelibus, quo ob immutabilem illum amorem divinum fruuntur, cuius fundamentum firmissimum est ipse Christus, quem non solum in causa nostra mori passus sit Deus, sed qui etiam, quia hic ipse Dei filius admodum magna atque horrenda sustinuerit mala, vas nobis sit, Deum non deponere amorem erga miseros obritosque calamitatus. Amoris enim divini beneficia non praesenti haec, sed altera futura nobis vita expectanda sunt, ubi sempiterna fruemur felicitate. Sunt ergo quae hic leguntur eadem, mutatis tantum verbis, quae Eph. III, 17. 18. profert Paulus, qua felicit ratione christianis contingat exponens, ut fidem gaudii plenam divini patris amore hauriant, qui Christi amore incredibili illo nitatur, et quem nemo omni sua cogitatione sibi sat magnum animo concipere possit. Sunt quoque quae Rom. V, 3 — 5. leguntur; ubi, qua de causa christianos spes ipsis data fallere nequaquam possit, sed multo magis de calamitatibus gloriari valeant miseri, hanc reddit rationem: *ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκεχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν δια πνεύματος ἀγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν*. i. e. quia amor divinus corda seu mentes christianorum, beneficiorum demonstrationibus, quas ope spiritus divini, qui ipsis (apostolis mirabili modo) datus fuerit, cognoscerent atque perspicias haberent, sic expleverit, ut omnes dolores omniaque reliqua mala forti atque constanti animo perpeti valeant. Ad argumentorum vero divitias eorumque magnam copiam, quibus nos amoris ipsius vincit Dominus noster, provocat Paulus 2 Cor. I, 5. et quidem eodem quo his locis consilio; ut et se ipsum et christianos, ad quos datae fuerant literae, de multis quae ipsis contingere possent consoletur calamitatibus.


§. 19.

Rom. XII, 3. Vox *πισις*, quae hoc loco vertitur fides, melius, ad meam quidem sententiam, reddi potest res, quae cui credita est, seu officium creditum. Cum enim Paulus de donis spiritualibus his locis loquitur, haec prae illa vocis significatione praeferranda erit. Ita quoque sibi interpretatos esse antiquiore aetate vel doctorum quosdam, vel codicum descriptores certe nonnullos, ex duorum codicum manuscriptorum *) lectione conici potest, in quibus loco *πισεωσ* legitur *χαριτωσ*; quae lectio mihi non tam error descriptoris quam correctio, seu explicatio potius, vocis *πισεωσ* mihi videtur. Nihil quoque hoc verisimilius est, Paulum, ut consueta ipsius scribendi dat ratio, pro more orientalium velle, alterum verbum *πισεωσ* priore, *χαριτωσ*, quod ipse iam posuerat, explicari. Quod vero reliquum est, commate 6. loco *πισις* scribit *χαρισματα*, liquidem hoc commate, post insertam ex similitudine cum corporis membris illustrationem, repetit, quae antecedente comm. 3. dixerat, adhibita, quam valde amat Paulus, paronomasia, *χαρισματα κατα την χαρην* scribens. Ad haec accedit, quod proxime insequens loquendi forma, *αυτολογια της πισεωσ*, nulla alia ratione, sin modo rebus et connexioni accommodari debeat, verti potest, quam: ut convenit donis, seu officio alicui credito.

§. 20.

Sed cum nunc fati sit exemplorum, quibus quae vellem me demonstrasse puto, ex eis simul, nisi fallor, colligi poterit, quam magno usui futurum esset viris iuvenibus theologiae atque religionis res tractantibus, si quis vir illustris hermeneuticae sacrae bene peritus, et veritatis studium quidem amans, sed arcens a novitatis aviditate mentem, scribere vellet *parallelismum sacrarum literarum*; quo nomine dico quosdam veritatum divinarum titulos, quibus illa sacrarum literarum loca adscriberentur, quae inter se non verbis quidem sed rebus et sensu convenirent: ubi vero quoque, se invicem recipere et explanare locorum dicta, luculentis argumentis demonstratum sit. Quibus bene peractis facili negotio cognosci posset, multo pauciores esse, quam vulgo creditur, separatas rerum divinarum doctrinas, quas viri divini sacris nos docent literis; dummodo varia horum virorum eas proponendi atque verbis tradendi ratio, bona piaque meditatione et scientiarum, quantum fat est, adminiculo, cognita fuerit.

*) Sunt, qui inter GRIESBACHII *farraginem* (ut vocat) lectionum numeris 6. et 67. signantur; ubi quoque duobus aëthericis ad num. 67. indicatur, ex emendatione sic legi.



Pon 24 1067
20




f

TA-70L

an 2 u. an 13 noch nicht aufgenommen

121





EXEMPLA LOCORVM

EX

SACRIS LITERIS PETITORVM

QVAE

QVOD VVLGO PROBARE DICVNTVR NON PROBANT;

NEC NON

LOCORVM ALIQVANTO DIFFICILIVS
INTELLECTV:

QVO FIERI POSSET VT QVIS, QVAE NON INTELLIGIT,
SINISTRE ET PERVERSA RATIONE
COLLOCARET;

HIS PAGINIS PROPOSVIT

ET QVA RATIONE INTERPRETANDO EXPLANARI POSSENT

TENTAVIT

M. CAROLVS GABRIEL ZANDT,

PAST. CESSSELSDORFENSIS.

DRESDAE,

TYPIS HENR. GVIL. HARPETERI.

M D C C L X X X I X.

